

## DE REB. METALL.

calcaria ænea effodiuntur in inferiore Lusatia: armillæ & monilia ænea inaurata Beichlingi in Thuringia, è regione arcis, qua orientem spectat. Nam Henricus III. imperator Beichlingum expugnauit propter Dodonem Thuringiæ & Misniæ marchionem, qui in eam confugerat. Vnde veteres Saxones armis æneis pugnasse verisimile est: Romanos tempore Henrici I. quem Sanctum cognominant, certum, ex Ditmari præfulis Mersburgici libro quinto. Constat autem è scriptis antiquorum, Persas, Pœnos, Hispanos, Græcos vsos armis æneis. Aeneis calceorum soleis vsus item Empedocles est, vt scribit Laërtius. Fuerunt olim tota templa ænea, vt Mineruæ inter Tænarum promontorium, & urbem Lacedæmoniorum, cuius Aemylius & Liuius meminere, quod cognomento *χαλκίοικον* fuit appellatum. Romæ ænea ædicula fuit Concordiæ, in Græcostasi, de qua Plinius: æneum sacellum